

R. D. P. C.
RELIGIO
CURIENSIUM,
HODIERNA EVANGELICO-LUTHERANA,
ejusque introductæ
Historia
DISSERTATIONE PRIORI
expōsita.
Quo ipso simul Incitato ad
ACTUM ORATORIO-VALE-
DICTORIUM,
in
Illustri Curiano
d. XIII. April. 1687, mox à Sacris Marcurinis habendum,
Inclutæ Urbis nostræ Proceres
invitat.
M. JO. CHRISTOPHORUS LAYRIZ,
Gymn. Patrii Rector.

Literis Minzeilianis.

E Voluto nuper *pristino* RELIGIONIS CURIENSIVM *st.*
ru, & spississima errorum caligine, quâ Papali fraude fasci-
 nati nostri, publicè detectâ, ad illa nunc ordo nos vocat
 tempora, quæ exortam Evangelii lucem maturè admodum in no-
 stris quoq; fulgere viderunt oris. Vix enim *B. Megalandri* LUTHE-
 RI ministerio perpurgandæ à superstitionibus impiisque opini-
 onibus Religioni Christianæ manus erant admotæ, sumta Anno
 1517. occasione, ab Indulgentiarum nundinationis oppugnatione,
 cùm divini Numinis benignitate Curia quoque nostra, cælestis
 hujus jubaris corrusco splendore, illustraretur. Sedebat tunc tem-
 poris ad clavum Ecclesiæ nostræ Navarcha summus *WIGAN-*
DUS de REDWIZ, Episcopus Bambergensis, cujus Diœcesi, quod su-
 pra jam dictum, Curia quoq; erat innexa. Specialiorem autem ejus
 in munere Plebani curâ *A.C. 1515* agebat ipse *FRIEDERICUS Junior,*
Marchio Brandenburgicus, FRIEDERICI hujus nominis IV, *Mar-*
chionis Brandenburgici, Prioris Lineæ Franconicæ pariter & Duca-
 lis Prusicæ, hodie emortuæ, Conditoris gloriosissimi Filius ordi-
 ne quintus, qui, cùm animum, relicto ordine Seculari, ad Ecclesia-
 sticum primùm appelleret, Præpositusque Onoldinus & Wilz-
 burgensis esset constitutus, brevi post Canonicus evasit Mogun-
 tinus, & ad altiora identidem asurgens, Præposituram Canoni-
 corum Würzburgensium quoque consecutus est. Quibus Officiis
 splendidius sustinendis, cùm ex more Clericorum alia quoque mi-
 nora munera, redditibus tamen satis commendata, attribuerentur,
Parochiam Curiensium etiam suscepisse legitur, quæ ordinariè fere
 illo tempore à Canonicis Bambergensibus administrabatur, quòd
 largo admodum salario administrationis laborem compensaret.
Hic Plebanus Illustrissimus, quamquam ad tenorem *Registri sive Di-*
rectorii rerum agendarum Parochialis olim Ecclesiæ S. Laurentii, quod *M. Joh.*
LINTHNER, itidē Plebani vicari⁹ *l. vicegerens ad A. 1479. conscripsit,*
 & ex tantâ antiquitate hodie adhuc in scriniis Superintenduræ no-
 stræ superest, aliquoties in persona officio suo fungi deberet, cùm
 tamen ipse ejus munera, in quantum quidem Acta loqvuntur, obi-
 isse

ipse haud legatur, aliquot successivè sibi elegit Vicarios, *Pancratium* scilicet *NEUDECKERUM*, cui, cum 1517. Fer. secunda Pentecostali diem suum clauderet, successus *M. Jo. HOLLER*, quem ejusdem *FRIDERICI* clauspicis 1524. excepit *M. Casparus LOEHNERUS*. Hic ipse Löhnerus, non sine insigni encomio urbi nostræ nec cogitandus quidem, cum dubio procul ex Lutheri scriptis, aut viva forte etiam voce, edoctus esset, quàm pessimè Evangelii doctrinam abominationibus suis corruerint Papicolæ & defœdârint, animo jamdum conceptam puriorem & repurgatam fidem, publicè etiam est professus, & pro suggestu intrepidè nostros Majores eam edocuit, errores Pontificios liberè taxavit, & Monachorum ordines ac studia, ceteraque humani cerebelli impia phantasmata, firmiter confudit & reprobavit. Nec in vanum ejus cecidère sermones, quin potius, ut sitibunda solis æstu terra imbrem haurit avidissimè, sic nostrorum mentes, non sine insigni voluptate, purius DEI verbum excepere promptissime, & Principi gloriæ pectoris sui portas jugiter aperuerunt, id etiam dantes operam, ut superstitioni Papistici ritus paulatim abolerentur.

Et sane hic pro maturè factis agnitæ à nostris veritatis testimonio non omittenda est illa Confessio, quam *Martinus HELFERUS* Ludi Curiensis circa A. 1517. Moderator, sub Marchione *CASSIMIRO*, coram Urbis Præfecto *Gvilielmo GRUNERO* edidit, quæ se primum in his partibus extitisse testatus, qui Papatui renunciaret; Circa illud ipsum enim jam factam esse tempus, evincit, quod primis statim annis, quibus Lutherus contra Papatum scripsit, relicto munere Scholastico Wittebergam concesserit, ibique aliquot per annos Clarissimorum virorum judiciis confirmatus in eâ Doctrinâ, quam semel professus, tandem redierit & Pastor in vicinis locis, *Lofavo* & *Selbizio*, factus eam fideliter propagaverit, ut insigni ejus encomio hoc $\sigma\upsilon\nu\chi\rho\upsilon\nu$ ferè ejus *M. Jo. STREITBERGERUS* in Oratione 1548, 18. Martii, cū Gubernatio Scholastica hujus loci ei mandaretur, habitâ, id adduxit, ex quo *Widemannus* ad A. 1515. repetiisse nobis videtur.

Non autem tulit inultum tentatum hoc regni sui excidium ipse
Satanas, sed, quâ est vafritie hostis immanissimus, tum publicâ vi,
tum dolis clandestinis rem aggressus, gliscentem sub Papalium su-
perstitionum favillis, Evangelii scintillam, extinguere rursus, &
velut in herba opprimere, omnibus annis est viribus. Primò
quidem publicâ abusus auctoritate nominati suprâ Episcopi Bam-
bergensis *WIGANDI*, qui, cum res ad ipsum, tanquam supremum
Judicem Ecclesiasticum, deferretur, antè omnia *D. Michaëlis Tem-
plo* eum pepulit, & *Wolfgango THECHO*, sacrificulo Pontificio,
rursus locum dare jusfit, & post, cum *Löhnerus* in Templum Fran-
cisci concederet, ibique per singulas septimanas verbum DEI sal-
vificum mirâ Spiritus parrhisia publicè doceret, & cives passim,
imò & aliquot è rasâ Monachorum turbâ fratres, ad fidem Christi
adduceret, repetitò interdicto cum Urbe plenariò ejecit A 1525.

Interea tamen viva vis Divini seminis, in corda fidelium sparsi,
emortua penitus haut jacuit, sed indies in herbam exire cepit læti-
us, dum cives, publicâ voce destituti, scrutando scripturas, erudi-
endo & consolando se invicem in Spiritu, à pontificiis dolis & te-
chnis identidem abhorruere magis. Aliam igitur Satan, qui interi-
tum regni sui hoc pacto imminere prævidebat, consilii inijt viam,
& quos publica impietatis effigie decipere amplius non poterat,
fucata pietatis, compositæq; sanctitatis larvâ, improbisimi cu-
jusdam impostoris fraude est aggressus.

Scilicet A. 1524. in hanc nostram Civitatem se contulerat *Nico-
laus STORCH*, *Zwickaviâ* ortus, eo quidem titulo, ut opificii sui, erat
enim pannifex, professioni invigilaret, cui etiam apud *Dn. Simo-
nem Klingerum*, Consulem tunc temporis & pannificem Curientem
aliquamdiu dedit operam, re ipsa verò, ut Diabolo in supprimen-
da Evangelii luce utiles ferret suppetias, & virus suum, sub sordidò
hoc palliolo, eò tutius disseminaret. Triennio jam ante Fanaticus
ille venenum illud pestiferum à *Thoma MÜNZERO*, famoso istius
temporis seditiosorum Rusticorum excitatore & flabello, *Zwicka-
viensium* ad *D. Chatarinam* per biennium Concionatore, *SCHMI-
DIO*

DIO quidem in *Chronico Zwickaviensi* ad A. 1529. p. 283. teste, infuxerat; aut, in quam sententiam **WIDEMANNUS** noster magis inclinat, ipse potius, tanti mali fax & tuba, Münzero eam insaniam unà perſuaserat, summopere sollicitus, qui alios malo isto simul inficeret. Summa Doctrinæ his continebatur capitibus: Pontificem ejusque adherentes, Monachos & sacrificulos veram non habere Ecclesiam, alio cultus genere placandum esse Deum ipsique inserviendum, omnium primò manifesta flagitia esse fugienda, corpus castigandum & macerandum jejuniis ac vestitu simplici, vultum ad austeritatem componendum, à DEO singularia signa illuminationes quoque ac apparitiones esse postulandas, si non è vestigio petitis deferat, graviter quoque cum ipso ex postulandum, & quæ alia perversi ejus animi erant deliria, ex Münzeri ore **SLEIDANO** ad initium *L. V. Comment. de Statu Relig.* distinctius commemorata. Cum primis Magistratui Civili diras injiciebat manus, illum loco depellendū, & impiis interfectis Principibus, novos esse constituendos, svadebat, quos inter primo se locatum iri loco palàm edicebat, quem Angelus Gabriel convencum, Throno suo insesurum jamdum professus sit &c. Insanus hic **Storchius**, postquam Luthero in Pathmo suo Wartburg delitescente, 1521. Wittebergam abiisset, ibi quoque clanculum discipulos quæſivit & invenit, sympatriotæ cum primis sui **Marci S T ũ B N E R I** operâ abusus, qui amicitia, quæ ipsi cum **Philippo M E L A N C H T O N E** intercedebat, fretus, ipsius Lutheri, ad comprimendos varios motus Wittebergam reversi, conspectum subire, eique duriter satis respondere, nullus est veritus, donec tandem, qui Lutheri præsentiam sufferre non poterat, nebulæ instar solis jubare discussæ, Wittebergam reliquit & evanuit: Et sane Enthusiastam hunc Storchium ipsi **CAROLOSTADIO** & Iconoclasti ejus fidelem navasse operam, ipsa B. Lutheri apertè loqvuntur scripta.

Tantum itaque, & tam ferreum obicem cursui Evangelii hic Curia quoque ponere sedulò annisus Satanus, perque hunc Storchium multorum dementavit mentes, dum non tantum ejus in officio consortes, pannificum ministri, quorum maximus in Urbe hærebat tunc numerus, sed etiam monachi aliquot, & alii cives, præstigiis & necromanticâ arte editis variis miraculis commoti,

in ejus, tanquam divini cujusdam Magistri, verba jurare, illi cum primis, quos ad *SALVATORIS* nostri exemplum, XII. sibi elegerat Apostolos, nulli vererentur, utilitatis quoque inter alia ducti argumento, quod optimas non raro cupedias, vina etiam nobilissima, Dæmonis ope, civibus in re lautiori constitutis, è veribus, mensis etiam & cellis abrepta, suis apponeret sodalibus, in opinionem adductis, quasi perpetuus ejus apparitor Angelus Gabriel, hæc talia ipsi, tanquam novo Eliæ, deferret. Tandem liberata quidem Urbs hac peste, dum acri conflictat⁹ morbo, in quo multas in Deum evomuit blasphemias, ille rebus suis diffidere incipiens, per posticum clam elapsus, nec multum post Monachii, Wiedemanno asserente in Xenodochio, vel, ut Schmidius habet p. 248 in diversorio aliquo publico, miserabili & ignoto habitu, ad plures abiit. Non tamen omne cum eo extinctum penitus virus, sed quidam *Johannes LEW*, Monachus olim nostras, qui non ita pridem è claustris suis aufugerat, sub dio & in aprico campo, magnò populi concursu, haut procul à S. Sepulchri sacello, quæ itur ad sylvulam Enchelberg/ Evangelium Matthæi V. a vers. 1. usque 12. Vespera Cathedræ Pauli, & subsequenti Dominicâ 1525. publicè, more Fanaticorum explicuit, & urbe ob seditionis metum ejectus, prolixâ ad Curianos fideles scriptâ Epistolâ, quam integram Wiedemannus ad dictum annum exhibet, fidem suam plenius confirmavit, ut impiis adeò his ductoribus parum abfuerit, quin multi ex nostratibus rebellantium rusticorum turbæ accesserint, invitantibus cum primis turbatoribus, ad vicinam Urbem Plaviam congregatis. Sed sedula Magistratus cura, & aliquot ingenuiorum Concionatorum, cum primis Löhneri nostri, dehortationes gravissimum hoc scelus abesse integritate sua adhuc jusserunt, & ita Urbi sibi que salutem adseruerunt.

Accessit huic malo aliud, idque vix levius, publicus scilicet, qui tunc invaluit, Scholarum contemptus, & Curianæ quoque, paulò ante satis floridæ, neglectus, ab ipso interitu parum distans. Cum enim rudis plebecula Lutheri scriptis esset edocta, sacrificu-

los & literis tinctos præcipuè in causa esse, quòd tanti in Religione inveciti sint errores, illi in extremorum alterum prolapsi, hos, tanquam salutis suæ hostes, publico proscripserunt odio, quòd egregia aliquot nostratium etiam ingenia ita fuerunt deterita, ut relictis Studiis, Academiâ quoque jam regressa, aut civili, aut privatæ vitæ animum applicuerint, quæ inter recensentur *Jo. RIEBSTEIN*, promotus Baccalaureus, Græcè & Latinè insigniter doctus, qui consensu ab imo Scholæ munerum dignitatibus omnibus, ordine isthoc relicto, Senator & Consul factus, & A. 1529, obiit. *Vitus GODIZERUS*, itidem SS. Theol. Lipsiæ creat⁹ Baccalaureus, bis jam ad sacrificandum initiatus, relictis literis ad pannificium abiit. *Sebastian. POELMANN*, *Michaël HEDLERUS*, quorum posterior nullâ Gradus Magisterii, quem Wittebergæ inter nostros primus consecutus, habita cura, Culmbaci œconomia intendit, Senator tandem ilius loci factus. Hæc itaque & alia exempla juniorum adeò dejecerant animos, ut qui præclaros per naturâ in studiis facere possent profect⁹, omnia alia, vilissima etiam opificia, Scholis & eruditioni præferrent, quòd ipso quantum Evangelii decesserit promotioni, nemo non videt, qui non planè nihil videt.

Et hic rerum ipsiusque Religionis erat status ad Annum ferè usque 29. Seculi XVI. Quamquam enim, quod ex superioribus repetere supervacaneum fore duco, intimo cordis adfectu divinam illam lucem quoque exceperint Curiani, orantes, procul dubio, inter alios Marchionatus subditos Serenissimos Principes suos, *CASIMIRUM & GEORGIUM* multis devotissimis precibus, ut sincera illa religio sibi publicè concederetur; Quamquam in solenni illo Conventu Provinciali, quem 1524. die Lunæ post Matthiæ, *CULMBACI CASIMIRUS* habuit, ut Procerum vota de susceptâ Religionis mutatione colligeret, Curianos quoque illis interfuisse, qui contra Prælatos asseriebant, *se in agnitâ semel veritate firmiter persisturos*, credibile admodum sit; Imò quamquam & nostros ea usos libertate firmiter confidamus, quâ Decreto Provinciali *O-*
NOL-

NOLDI 1526. cum Principum, cum Statuum consensu conclusum: In superiori atq; inferiori Burggrafiatus Norici Principatibus pastores & concionatores impostero universos sacrosanctum Evangelium Deiq; verbum sincere & sine corruptelâ predicare: illos autem, qui Sacramenta à Christo instituta impugnant, veramq; & realem corporis & sanguinis Christi in sacra Eucharistia presentiam negant, nullum locum habere, sed in perpetuum exesse debere; quod mandatum in repetito 1528. Conventu Onoldiano, post **CASIMIRI** A. 1527. obitum, severius injunctum, decretaque à **D. GEORGIO** in Synodo *Sivobacensi* eodem anno habitâ, Visitatione Ecclesiasticâ, & **XVII** Doctrinæ purioris conscriptis Articulis uberius munitum, ut singula hæc accuratissimè diduxerunt **B. Dn. à LILIEN** in **D. GEORGIO**, & *Excell. RENTSCHIIUS* in Jubileo Burggrafiatus Norici; vix tamen liberum ab omni contradictione ante A. 1529. Evangelii possederunt exercitium, partim, quod nimis attentum Bambergensis in illos gereret oculum, partim, quod **FRIEDERICUS** Marchio, **CASIMIRI & GEORGII** Pater, Plasfenburgi tunc commoratus, Pontificiæ adhuc tenaciter adhereret religioni, & quamquam Filiis regiminis curam reliquisset, ipse **CASIMIRUS** tamen natu major, sub initium duriorum se introductæ Religionis exhiberet, incertum an proprio ingenio, an in Patrem studio; partim etiam, quod ipsa Urbs multo Clero referta, qui, quantum in ipso erat, contra nitentur pro viribus.

Anno autem 1529. & quinto quidem Septembris die, qui tunc XV. post Trinitatis erat Dominica, felicissimum Curia illuxit sidus, quod in plenarium Evangelicæ lucis usum eam introduxit. Hoc enim candido notando lapillo die *Missa*, seu Administratio Cœnæ, Germanicè haberi ad **D. Michaëlem** primùm cepta est, Conciones Evangelicæ liberè de sacra infondere pergula, & Episcopus Bambergensis jure suo Episcopali cessit, illudque Serenissimo Marchioni **GEORGIO** reliquit, aliis invicem ab hoc ipsi repositis contentus. Restitutus etiam eo ipso anno in officium **LOEHNERUS** & *Agenda Ecclesiastica*, seu Librum, quo ritus sacri, ex usu Ecclesiæ nostræ comprehensi, procul dubio ad eorum tenorem, quæ in laudata supra Synodo

do Svobacensi, primò à D. *Andrea OSIANDRO*, ad D. Laurentii Noribergæ tunc Concionatore, qui Synodo intererat, breviter delineata, à reliquis Theologis dein aucta & emendata fuerunt, Curia nostra ab illo sunt conscripta.

Hinc Monachi alii ad Lutheranorum transiere castra, ut *Thomas MOTHEL*, *Erhardus Söbe*; alii, relicto pristino claustro, alia quæ vivere vitæ sustentacula; aliis annis jam & ætate gravibus de victu & amictu ad dies vitæ prospectum est, & pristina concessa in ecenobiis possessio, usque dum post mortem illorum, Gloriosissimi *ALBERTI* junioris Magnificentiâ, Bonis Musis gratisimo cessit habitaculo.

Sic tandem halcyonis sua Curia invenisse videbatur Evangelium. Verum, quod *SENECA* prudenter suggestit: *noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur; Eodem die, ubi inserunt navigia, sorbentur;* hoc & *Löhnero* nostro, fidei verbi divini Parastata, rectissimè quis acclamasset. Dum enim officio suo sedulus invigilat, & opus Domini strenuè urget, ultimas in illum pariter & fidum muneris socium, *Nicolaum MEDLERUM*, qui unâ cum publico Ludo literario sacram quoque administrabat cathedram, evomuit iras, dum in aliquot veritatis hostium odium occultum utrique incurrere, cum primis Capitanei tunc Curienfis, *Doctoris Christophori de BULLVIZ*, qui omnes captabat occasiones, quæis officio utrosque moveret, adeò quidem, ut illi etiam indignitate persecutionis moti, ad Lutherum literas dederint, consiliumque ejus in tantâ rerum suarum angustiis expetierint, quibus Lutherus de dato 7. Junii 1531. insigni solatio plenas responsorias reposuit, *Widemanno* ad d. A. adductas, & nobis ex eo hic quoque repetendas:

MARTINUS LUTHERUS

Venerabilibus in CHRISTO Fratribus, CASPARO LOEHNERO,
Ministro verbi, & NICOLAO MEDLER, Ludimagistro, Curianæ
Civitatis fidelibus:

Gratiam & pacem in Christo.

Legi vestras literas, *Optimi Fratres*, in quibus consilium meum petitis: *an concedendum sit hostibus illis vulpinis Evangelii apud Vos?* Ego verò arbitror, nullo modo cedendum Vobis esse; ne veluti mercenarii deseratis oves. Pergite itaque in officio suscepto, &

ab Ecclesia Vestra approbato, ferentes omnia, quæ ferre oportet: Donec vel vi vos ejiciant, vel mandato proscribant Principis. Alioqui furori Satanæ non est cedendum. Non soli estis, qui talia patimini. Est omnium nostrum persecutio, scilicet domestica, & à nostris fratribus (nomine) sub optimis Principibus. Sed quia ab externa persecutione liberi sumus, & Evangelium absque persecutione esse & crescere non potest; ferenda est saltem ista domestica. *Es will und muß doch gelitten seyn/* sive intus, sive foris. Fortes igitur estote, & tollite hanc crucem post Christum, & invenietis requiem animabus vestris. Ipse Deus, Dux & consolator noster servet & soletur Vos Spiritu suo Principali, Amen. Wittebergæ d. 7. Junii A. 1531.

Sic nostris Lutherus; cujus consilium & animosè secuti. Nihilominus & hic quoque DEUS fonticis ex causis indulget Satanæ, ut voti fieret compos, perque manus dicti Capitanei, utrosque die Margarethæ, multò adhuc die, ex urbe ejiceret, nil motus Löhneri Conjugis precibus, puerperæ recentis tum jure gaudentis. Causa proscriptionis interferebatur, quod acriter nimis in Pontificios invecti, & Serenissimo varios conciliabantur animo, in nobilium etiam avaritiam, fœnus, Venerem & rapacitatem graviter invectum. *LOEHNERUS* post Oelsnitium, Naumburgum & tandem Nordlingam se contulit, ibique relicto Filio celeberrimi nominis Theologo, *Josua LOEHNERO*, *Concionatore Aulico Altenburgensi-Saxonico*, decessit. *MEDLERUS* Wittebergam ad Lutherum abiens primò Magisterii, dein Doctoratus gradum assumpsit, & Naumburgi pariter & Brunswigæ docuit, perpetuò patriæ suæ gratissimus memor, ut alibi dicitur.

Ipsam autem injuriam, illis exhibitam, quam DEUS vi verbi sui sibi illatam tulit, severè quoque ultus, adeò quidem, ut tarditatem poenæ supplicii gravitate compensasse suo comparuerit loco.

Abrumpendum enim hic, & quod intimationis titulum obtinuit, suum nunc tueatur nomen, necessum est. Scilicet ad proximum Mercurii diem ab ipsis Sacris finitis, Vale dicent Musis nostris bini hæcenus illarum Alumni & Cultores, Ornatissimi pariter & Docti, qui ne præter ordinem id facerent, in Orchestra Oratorii nostri prius denuò se sistere, & ultima nobis verba dare constituerunt.

Prior


ADAMUS NICOLAUS MEYERUS, Curiensis,
Viri Reverendi Plurimum ac Praclarissimi, Dn. NICOLAI MEYERI,
Pastoris Xenodochialis hujus loci meritisimi Filius natus major, Dux hactenus
Gymnasii nostri, selecto è Statu Imperii nostri publico dicendi argumento
questionem proponet: Utrum Gallo, urgenti nunc pacem eternam, præ-
senti rerum statu, illa, cum tranquillâ omnium violenter acquisitorum posses-
sione, sit concedenda? quam affirmativè decideret, asserens: iniquam etiam
pacem bello esse anteferendam.

SAMUEL HEIFFELIUS, Plavia Variscus,
Viri Maximè Reverendi ac Excellentissimi, Dn. JO. HEIFFELII,
Superintendentis apud Plavienses longè gravissimi, Patroni nostri colendisimi,
Filius natus medius, idem reasumer Thema, & tota re per circumstantias
solerter excussa, Negativam Conclusionem tutabitur, ostensurus: iniquam
hanc pacem justo bello non esse preferendam. Moderationem tamen eam
Disfavoris suæ simul adferet, ut, si Gallus inito semel armistitio velit sta-
re Imperatorem illud sanctissimè observare, nec dubio & ancipiti bello,
eig, gemino, Germaniam nostram implicare debere credat. Quae lite pero-
ratâ publicam Valedictionem Carmine Heroico Latino idem quoque sub-
junget.

Hæc ultima obsequii illorum, Legibus nostris sanctè identidem ha-
 biti est nota, ut ea propter utrosque non possimus non tantum bona pace
 dimittere, sed omnibus & singulis de meliori commendare. Quam-
 diu enim nobiscum commorati, quod prior quidem à teneris, posterior
 per binos cum dimidio, & quod excurrit, fecit annos, laudabilem ingenii
 sui bonitatem tum ostenderunt satis largiter, tum exercuerunt nobiliter,
 & hinc in Studiis eos quoque sensere successus, qui tempori & sumtibus
 impensis contra chari non erunt. Pietati insuper & Modestis litarunt
 publicè, nullo insolentis excessu nobis conciliati; Privatim autem ita
 continentur, ut ille Dn. Parentis, hic mei Rectoris convictu cum laude
 fructi sint. Securâ itaque de iis nos spes tenet, fore, ut utriusque olim, ni
 retro legant vestigia, digna gloriae divinae extitura sint organa, & Ecclesie
 Reipublicæque salutaris, honoratissimorum Parentum gaudio & pro-

prio emolumento. Nos, ut omnibus votis eos juvamus, ita quod splen-
 didius Auditorium Valedicturi rectè factorum habeant premium,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI NO-
STRI NUTRITIQUE CLEMENTISSIMI *Consiliorum Prae-*
sidem Summum, Consiliarium Intimum Eminentissimum, Exarchum Provinci-
alem Curiae Gravissimum, Illustrissimum Comitem ac Dominum, Dn. JOHAN-
NEM ALBERTUM, *Comitem de Ronov & Biberstein, Dominum in Oppurg*
Knan, Krobiz & Grünau, Dominum nostrum multum Gratosissimum; nec non,
Viros Maximè-Reverendum ac Prae-Nobilissimum, Dominum JOSEPHUM
FRIDERICUM A VVALDECK, *in Kutmiz & Dœbra-Stæcken, &c. Pa-*
storem Primarium Curiarum & Vicinarum Ecclesiarum Superintendentem,
Gymnasii item Inspectorum Dignissimum; Cum Reverendo plurimum Ministerio
Nobilissimos, Excellentissimosq; Medicos, Physicum Ordinarium & Adjunctum;
Consultissimos Dominos Officiales; Urbis Senatum Prudentissimum Spectatissi-
imumq; Gymnasii itidem Patronum & Scholarchas; Nec non Honoratissimos
Dnn. Collegas, Prae-Eximios ac Clarissimos Dnn. Studiosos, omnesq; Literarum
Patronos & Fautores, eâ, qua par est devotione & animi promptitudine, ma-
jorem in modum expetimus, ut gratiosam & honoratissimam Dicturis
praesentiam benigne commodent, cujus affectus hostimentum submississi-
ma studia & quaecumque acceptam & gratam vicem
 reponemus.







R
HODIE
ACTU
M. JO
S LAYRIZ,
O-VALE-
RIORI
M, IOTHERANA,
IO

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

